

~~Wilh. Ludwell~~

1249.

- ~~1.) Tractatus juris ad Institutiones~~
- ~~2.) Sist. II. Thesaurum juris~~

Wilhelmi Ludwell dissertationes XVIII. ad
Justinianearum Institutiones. Altorff. 1627.

Henrici Beszel dissertationes ad jus Pande-
ctarum Marp. 1627. Vol. 1.

Altorff. Sammelbd.
Lil.

] M13

DISPUTATIO SEPTIMA.
AD
IVSTINIANEAS
INSTITVTIONES.

Quam

Permissu & auctoritate

Amplissimæ Facultatis Juridicæ in celeberrima Altdorfina.

PRÆSIDE
DN. WILHELMO LUDWELL
BORUSSO.

*Nobilissimis & Præstantissimis Dominis collegis
examinandam exhibuit.*

WOLFGANGUS ANDREAS ARM,
CULMBACO-FRANCUS.

Mense Januario,

ANNO M. DC. XXVII.



ALTDORPHI NORICORUM,
E Typographia Balthasaris Scherffij,
Universitatis Typographi.

AD
JUSTINIANAS
INSTITUTIONES

Amplissima Facultatis Juridice in celeberrima
Urbe Aedonensi

DR. WILHELMO LUDWIG
BORUSSO

WOLFGANGUS ANTONIUS A.M.
CUM HONORIS TITULO
Societatis Juridice

ANNO MDCXXVII
A. D. B. O. N. I. N. O. R. I. U. M.
E Typographia Baldachii Schenckii
Haverhageni Typographi





DISPUTATIO VII.

Ad Tit. 10. 11. 12. 13. Lib. 2. Inst.

RESPONDENTE,

WOLFFGANGO-ANDREA ARM,
Culmbac. Franco.

THESIS I.

Tantum de modis acquirendi ex jure Civili particularibus. Restant Universales, hereditas, bonorum possessio, arrogatio, & addictio bonorum libertatum conservandarum causa. (a) Hereditas (b) est successio (c) in universum jus, (d) quod defunctus habuit. (e) Ea; vel ex testamento vel ab intestato. (f)

(a) *S. f. Inst. per quas pers. cuiq. acquir.* Erant olim & alii duo modi per universitatem acquirendi, venditio videlicet bonorum, & ex SCto Claudiano: quorum ille cum judiciis ordinariis expiravit; hic à Justiniano sublatus est, *tot. t. Inst. de success. subl. quæ fiebant, & l. un. C. de SCt. Claud. toll.* (b) Hereditas ab hero, id est; domino dicta est. Veteres enim heredes pro dominis accipiebant, *S. fin. Inst. de her. qual. & diff. Plaut. in Mencech.* abstuli hanc cujus heres (id est dominus) nunquam erit post hunc diem. Unde etiam in Pand. Florent. semper per e. non per æ. scribitur. *Wesemb. ad d. S. f. Cujac. 5. obs. 10. Borch. de grad. fol. 142. 143. & in Disput. extraord. de heredit. th. 1. Adde Hillig. ad Don. lib. 6. com. c. 2. lit. E.* (c) quo verbo quid denotetur, mirè variant Dd. ut videre est, *apud Gædd. ad l. 24. ff. de V. S.* Nos hic accipimus pro ipso jure, quod succedit in locum defuncti, ejusq; personam representat *l. 31. S. 1. ff. de hered. inst. S. 2. Inst. eod. l. 34. ff. acq. rer. dom. l. 55. S. 1. ff. de leg. 2. l. 13. S. 5. ff. quod vi & clam. Don. d. c. 2. & ibi Hillig. lit. D.* Hinc hereditas etiam absq; ullo corpore juris intellectu

Q 2

ctum

Quod frustra acutas Jctorum nugas appellat Senec. lib. 6. de benef. c. 5. utpote ob evidentes utilitates introductum, ut docet *Don. d. c. 2. Adde Borch. in tr. de grad. fol. 245. & in d. D. extraord. th. 3. 4. & 5.* (d) in dominium rerum hereditariarum, *l. 37. ff. de acq. hered. & alia jura, quæ defunctus in re aliqua habuit, l. 1. ff. si ager. vect. l. 1. C. si unus ex plur. hered. in actiones, tam personales, quam reales, §. 1. Inst. de perpet. & temp. act. in exceptiones, l. ult. ff. de except. rei vend. l. 9. ff. de probat. summatim in omnia commoda & incommoda de quibus Don. lib. 7. cap. 10. & 17. Excipiuntur ea, quæ in facto consistunt, l. 23. ff. de acquir. poss. & jura quoq; personalia; ut ususfructus. l. 3. §. ult. quib. mod. usufr. amitt. l. 8. §. 3. ff. de liber. leg. exceptiones & alia beneficia personalia. l. 7. ff. de except. Don. d. c. 10. (e) *l. 24. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. I.* Viventis enim nulla est hereditas, *l. 1. ff. de hered. vel act. vend.* (f) *d. §. f. Inst. per quas pers. cuiq. acq. l. 1. l. 3. ff. de hered. pet. l. 70. ff. de acquir. hered. Don. d. lib. 6. c. 3.* Quidam & tertiam agnoscunt speciem, successionem contra testamentum, quod refellit, *Valent Forst. lib. 1. de success. c. 8. 9. & 10.* Annon pactis quoq; deferri potest hereditas? *Neg. per l. 5. C. de pact. convent. & l. f. c. de pact. nisi milites de mutua successione pacti sint. l. 19. C. d. t. vel is de cujus successione agitur, consenserit, & in ea voluntate ad extremum vitæ halitum perseveraverit, d. l. f. C. de pact. Adde Treutl. vol. 1. D. 6. th. 8. distinctè de pactis successoris agentem.* Pacta autem hæc de succedendo adeò invalida sunt, ut ne juramento quidem confirmari posse videantur. *Gædd. ad l. 3. n. 38. ff. de V. S. Fabrin. 8. controu. 72.**

II.

Testamentum (a) est voluntatis nostræ (b) ~~justa~~ (c) sententia, (d) de eo, (e) quod quis post mortem suam (f) fieri velit. (g)

(a) Dicitur quasi mentis testatio, *pr. Inst. de test. ordin. notati-
 one non Grammatica; (Sic enim simplex videtur vocabulum à te-
 statione deductum, Gell. lib. 6. Noct. Attic. c. 12. & Laur. Vall. lib. 6. e-
 legant. c. 36.)* Sed juridica, quæ res potius & earum convenientiam,
 quam litteras & syllabas spectare solet, *ait l. 1. ff. de pact. l. 1. ff. de acq.
 poss. Giph. Bald. ad d. pr. Vult. n. 12. Arum. Exerc. 7. th. 1. Adde Gædd. ad
 l. 164.*

lib. 4. ff. de V. S. n. 6. Nonnulli in *d. pr.* non tam nomine, quam rei ipsius definitionem ab Imp. propositam existimant, rectè ob id notati à *Vult. n. 14.* Testamentum igitur hic ipsam mentis testationem significat: alias sumitur etiam pro Codice, in quo scripta est illa testatio *l. 1. ff. quemad. test. ap. l. 16. ff. ad l. Corn. de fals.* quandoq; pro testamentaria hereditate, ut in *l. f. de bon. poss. sec. tabb. l. 14. ff. de his que ut indign. Prat. in Lex. verb. testamentum.* De origine controvertitur. Dd. communiter essentiam testamenti ad jus Gent. solennitates vero ad jus Civ. referunt. *Schneid. ad d. pr. tit. hujus. n. 12. & seqq. Tr. vol. 2. D. 10. th. 1. lit. B.* Nos testamentum ipsum juri Civ. ascribendum putamus: quia forma essentialis, heredis videlicet institutio, § 34. *Inst. de legat.* à jure Civ. est, *pr. vers. Quos autem Inst. de bon. poss.* quamvis alias non negemus ultimas voluntates & aliis gentibus cognitas fuisse. *Bronch. cent. 3. ass. 20. Guilb. Forst. D. 12. th. 3. Hunn. V. R. lib. 2. tr. 5. q. 3. Hænon. D. 7. th. 1.* ubi tamen conciliationem hujus opinionis cum communi non probamus. *Adde Ant. Fab. in Jurisp. Pap. t. 2. pr. 2. & pr. 5. Ill. 1.* Est autem juris non privati, sed publici, *l. 3. ff. qui test. fac. poss.* non quod ad statum rei Rom. pertineat, sed quod formam habeat legibus & jure publico præscriptam, *l. 20. ff. de V. S.* quam privatorum pactis mutare non licet, *arg. l. 38. ff. de pact. l. 20. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 1. §. 8. ff. de magistr. conven. Accurs. ad d. l. 3. ff. qui test. fac. Ant. Fab. in Jur. Rom. tit. 2. pr. 5. Pac. cent. 5. q. 85.* Ita ut conjectura Rævardi, *4. var. 12. circa d. l. 3.* non supervacua modo, sed & falsa forte videri possit. (b) Testamentorum enim jura per se ipsa firma esse oportet, non ex alieno pendere arbitrio, *l. 32. ff. de hered. Instit.* Unde testamentum ad alterius, fortè Notarii interrogationem factum, non valet, *Bronch. cent. 2. miscell. ass. 9. Fach. lib. 10. contr. c. 17. Arum. Ex. 8. th. 5. Elias Rober. D. 11. th. 1.* Idem dicendum de testamento metu facto: nam quamvis hoc ipso jure valeat, rescindi tamen potest, ut & alia metu gesta, *tot. t. ff. quod met. caus. Duar. ad tit. ff. qui test. fac. poss. pr. Fachin. d. lib. 10. c. 15.* (c) Id est juri & legibus consentanea, seu secundum leges & regulas testamentorum facta, *Vacon. à Vacun. lib. 4. declar. 52. n. 4. Elias Rober. d. th. 1. Arum. Ex. 7. th. 2. Adde Don. 6. com. 4. & Henning. Wegen. D. 7. th. 1. lit. G.* (d) Sententia hic nihil aliud significat, quam deliberatam voluntatis nostræ contestationem, *arg. d. pr. Inst. de test. ordin. Adde Duar. ad t. ff. qui test. fac. pos. c. Quid sit re-*

stamentum: quæ pro lege servanda est N. 22. c. 2. cum publicè inter-
fit suprema hominum judicia effectum suum sortiri, l. 1. C. de SS. Ec-
cles. nisi juri & bonis moribus repugnent, l. 55. ff. de leg. 1. ubi Duar.
Bronch cent. 3. ass. 58. (e) sive universo patrimonio, sive parte ejus:
quamvis in paganis etiam ubi pro parte, vel in re certa quis institu-
tus sit, nihilominus universalis sit dispositio: cum hic nemo pro
parte testatus pro parte intestatus decedere possit, l. 7. ff. de R. I. &
ibi Philip. Matth. Val. Forst. d. tr. lib. 1. c. 20. Bronch. d. cent. 3. ass. 25. (f)
Ante non valet, sed obitu demum testatoris confirmatur, c. cum
Martha. 6. extr. de celebr. missar. Ambulatoria enim est hominis vo-
luntas usq; ad supremum vitæ exitum, l. 32. §. 3. ff. de donat. inter vir.
& ux. l. 4. ff. de adim vel transf. leg. adeo ut nemo sibi hanc legem di-
cere possit, ut à priori voluntate recedere non liceat, l. 22. ff. de leg. 3.
Quid si testator juravit se priorem suam voluntatem non revocatu-
rum? Adhuc revocare posse dicendum videtur, glos. in c. ultima vo-
luntas. 13. q. 2. & c. cum Martha 6. extr. de celebr. missar. quamvis testa-
tor per jurus fiat, ex notatis in c. ult. de Procur. in V. I. Fachin. lib. 4. contr.
c. 8. in f. (g) l. 1. ff. qui test. fac. pos. Ulpiani vero definitio, in fragm.
tit. 20. pr. ad solenne tantum testamentum pertinere videtur.

III.

Estq; testamentum hodie duplex, (a) vel solenne,
 vel minus solenne & privilegiatum (b) utrumq; vel in
 scriptis fit, (c) vel sine scriptura per nuncupationem. (d)

(a) Olim tria testamentorum genera in usu fuerunt, unum,
 quod calatis comitiis, id est in convocata populi concione fiebat,
 alterum quod in procinctu, (ita enim hic in pr. nostro legendum
 videtur, arg. §. 1. d. t. 20. apud Ulp. in fragm. Cujac. in not. prior. Giph. add.
 pr.) Cum viri in prælium ituri essent: tertium per æs & libram fuit,
 quod prioribus abolitis successit, §. 1. Inst. h. t. & ibi Theoph. Gell. lib. 25. c. 27.
 Sed & hoc partim (quo ad imaginariam videlicet venditionem: nam
 quoad testium adhibitionem remansit, Vult. add. §. 1.) in usu esse de-
 siit, d. §. 1. Inst. d. t. & quartum testamenti genus à Prætoze additum
 est, §. 2. Inst. h. t. Tandem & quintum, quod partim ex Jure Civili,
 partim ex prætorio, partim ex Constitut. PP. conflatum est, §. 3. Inst. d.
 t. quo adhuc utimur, & solenne testamentum appellatur. (b) Quorū
 illud

illud non aliter, quam observatis omnibus j̄ris civilis solennitati-
 bus, hoc etiam absq; solennitatibus ex speciali aliquo privilegio va-
 let, *arg. t. Inst. ff. & C. de milit. test.* Ad solenne testamentum perti-
 net & testamentum coram Pr. factum, vel actis publicis insinua-
 tum: quia hic Pr. autoritas, & actorum fides omnes solennitates
 superat & supplet, *l. 19. C. h. t.* in qua intelligendum est, non scri-
 nium pectoris Imp. ut Dd. vulgo, sed armarium, quo epistolæ, li-
 belli, cæteraq; monumenta litteraria asservabantur, *Don. l. 6. cap. 6.*
ibiq; Hillig. lit. C. proinde ejusmodi testamentum etiam absq; ullis a-
 liis testibus valere verius est, *per d. l. 19. & arg. l. 31 C. de donat. Don. d. c.*
6. Fachin. 6. cont. 86. Quod si tamen dubitetur an testamentum illud
 ex voluntate defuncti principi oblatum sit, duobus id testibus pro-
 bandum est, *arg. d. l. 19. vers. nec institutus.* (c) cum testator vel per
 se, vel per alium, voluntatem suam scripto & litteris comprehendit,
l. 21. C. h. t. Græcè an Latine id fiat, nihil interest, *d. l. 21. §. f.* Sive in
 tabula cerata, sive lignea, sive lapidea, sive in charta etiam de leti-
 tia, sive in membrana, *§. 12. Inst. h. t. l. 15. §. f. C. eod. l. 1. pr. l. 4. ff. de bon.*
poss. secund. tabb. Myns. & Borch. add. §. 12. (d) Quando testator viva
 voce voluntatem suam declarat, heredemq; palam coram septem
 testibus exprimit, ac nominat, *§. f. Inst. h. t. & d. l. 21. §. 2. C. & l. 21. pr.*
ff. eod. Hodie solent plerumq; adhiberi Notarii, qui nuncupatam
 testatoris voluntatem in scripturam redigant, ut si forte testes de-
 cesserint, testatoris tamen voluntas instrumento hoc satis probari
 potest: quamvis testamentum nihilominus nuncupativum maneat,
 proindeq; nec subscriptionem nec signa testium requirat, *Schneid.*
ad d. §. f. Inst. h. t.

IV.

Circa testamentum duo consideranda sunt, per-
 sonæ quæ testari possunt, & modus testandi. (a) Testa-
 ri possunt omnes qui non prohibentur, (b) ob condi-
 tionem personæ, vel defectum. (c) Conditione perso-
 næ prohibentur, servi, (d) filii. (e) de statu suo erran-
 tes vel dubitantes, (f) capti ab hostibus (g) obsides (h)
 & capitis damnati. (i)

(a) *l. 4. ff. qui test. fac. pos. ubi Cujac. & Duar. Don. d. lib. 6. com. c. 4*

(b) *arg.*

(b) *arg. l. 43. § 1. ff. de procur. Gloss. in l. 3. ff. d. t. qui test. fac. poss. Don. d. lib. 6. c. 5. Trent. d. D. 10. th. 2. lit. B. & ibi Bachov.* (c) *Don. c. 5.* (d) Quia juris Civ. ex quo formam & originem habent testamenta, communi-
one destituuntur, *l. 20. § 7. ff. qui test. fac. pos. l. 32. ff. de R. I.* Excipi-
tur servus publicus Pop. Rom. quide dimidia peculii sui parte testa-
ri poterat. *Ulp. in frag. d. t. 20. § ult.* Quod idem de monachis quoq;
dicendum, ut videlicet nec illi testari possint; nisi inter liberos.
Auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. & N. 123. c. 38. Si tamen ante in-
gressum monasterii testati fuerint, testamentum illud per ingres-
sum non rumpi verius videtur, *per N. 5. c. 5. Trent. d. D. 10. th. 2. lit. D.*
quamvis contrarium placeat *Bach. ibid.* Sed quid si ingrediens pro-
testatus fuerit de bonis retinendis, poteritne etiam post ingressum
testari? *Aff. Trent. d. loc.* Sed negativa verior est, *arg. d. N. 5. c. 5. & d.*
N. 123. c. 38. Bach. ad Tr. d. loco. (e) ne quidem permittente patre, *pr.*
Inst. quib. non est perm. fac. test. l. 6. l. 16. ff. & l. 3. C. eod. quamvis mortis
causa donare permittente patris possint, *l. 25. ff. de mort. caus. donat. cum*
lex 12. tabb. hic non requirat patrem. ut in testamento, Vult. ad d. pr.
Inst. h. t. n. 7. Connan. 9. com. 4. n. 4. Don. d. lib. 6. c. 5. & ibi Hillig. lit. K. Ex-
cipiuntur peculia castrensia vel quasi, de quibus, quia horum respe-
ctu pro patribus habentur, testari etiam patre non permittente
possunt, *d. pr. Inst. h. t. l. 6. ff. de injust. rupt. & irrit. test. §. f. Instit.*
de test. mil. l. f. c. de in offic. test. l. 4. l. 14. C. de advocat. divers. judic.
An idem de adventitis, quæ pleno jure ad filium pertinent,
dicendum? *Neg. arg. d. pr. Inst. quib. non est permitt. & per ex-*
pressum tex. in l. pen. C. qui test. fac. cum præsertim ratio quæ in
castrensibus & quasi castrensibus exceptionem & privilegium
suasit, favor videlicet militiæ & litterarum, hic cesset. Vult. ad d. pr.
n. 11. Schneid. Don. d. c. 5. Fach. 5. cont. 94. Arum. Ex. 7. th. 6. El. Rober. d.
D. 11. th. 2. Trent. d. th. 2. lit. C. ibiq. late Bach. Dn. Ungep. Ex. 8. q. 5. (f) *l.*
14. l. 15. & ibi gloss. ff. d. t. qui test. fac. poss. (g) Hi enim alienæ potesta-
ti subjiciuntur, & servi hostium efficiuntur, *§. 4. Inst. de jur. pers. Ser-*
vos autem testari non posse supra dictum est. Si vero ante captivita-
tem testamentum aliquod legitime fecerint, siquidem redierint,
valet jure postliminii, §. f. Inst. d. t. quod fingit eos semper in civitate
fuisse, §. 5. Inst. quib. mod. jus pat. pot. sol. v. Si vero non redierint, ex
L. Cornelia, quæ fingit eos primo captivitatis momento decessisse
CIVES

cives Rom. l. 12. ff. d. t. qui test. fac. & l. 13. ff. de capt. & postlim. revers. (h) Nisi eis specialiter permittatur, l. 12. ff. d. t. qui test. fac. Idq; siue ab hostibus populo Rom. dati fuerint, siue à populo Rom. hostibus: quia bona illorum, non secus ac captivorum in fiscum coguntur, l. 31. & l. seq. ff. de jur. fis. Gloss. ad d. l. 12. Adde Don. d. lib. 6. c. 5. Trent. d. th. 2. lit. G. & ibi Bachov. (i) Quia & libertatem amittunt & bona quoq; eorum publicantur, l. 8. § 1. & § 2. ff. d. t. Hodie cum nec servi pœnæ amplius efficiantur, N. 22. c. 8. nec bona quoq; indistinctè fisco applicentur, testari eos posse, forte non malè quis dixerit, cum Wes. in w. ff. d. t. qui test. fac. pos. n. 13. Quam sententiam usu quoq; servari, ex Claro ibidem docet. Huc pertinent & deportati, d. l. 8. § 1. & 3. qui quamvis libertatem retineant, civitatem tamen amittunt, § 2. Inst. de cap. de min. & bona etiam postea quæ sita, post obitum eorum fisco vindicantur, l. 15. ff. de interd. & releg. l. 2. C. de bon. proscript. Idem de bannitis seu proscriptis Imperii dicendum, qui durioris conditionis, quam olim deportati, esse videntur, utpote cum sententia imperiali publici hostes declarentur, ut videre est apud Gail. lib. 2. de pac. publ. c. 6. n. 9. & 10. Adde Bachov. ad Tr. d. th. 2. lit. H. Aliud est in excommunicatis; quia hæc pœna spiritualis est, & ipsi domino bonorum manent. Trent. d. lit. H. & ibi Bach. nisi forte ob hæresin excommunicati sunt, auth. credentes, & ibi Dd. C. de heret.

V.

Ob defectum prohibentur, vel animi; ut impuberes, (a) furiosi, (b) mente capti, (c) prodigi: (d) vel corporis, ut surdi & muti, (e) item cœci. (f)

(a) § 1. Inst. h. t. l. 5. l. 19. ff. & l. 4. C. eod. Ulp. in frag. t. 20. § 11. ne quidem cum tutoris autoritate, l. 1. § 1. ff. de tut. & rat. distrah. & arg. l. 32. de hered. instit. Foman. D. 14. th. 13. lit. A. etsi pietas causæ illorum voluntati suffragetur. Schneid. ad d. § 1. n. 3 (b) l. 40. ff. de R. I. si videlicet perpetuo furore laborent; nam si dilucida intervalla habeant, tempore intermissionis rectè testantur, d. § 1. Inst. h. t. & l. 9. C. eod. Illud quoq; quod ante furorem rectè fecerunt, superveniens furor non facit irritum, d. § 1. & l. ult. ff. de injust. rupt. & irrit. test. quia ea quæ facti sunt, ut furor &c. non possunt infirmare ea, quæ sunt juris ut testamentum, arg. l. 8. ff. de his qui sunt sui vel al. jur. Giph. ad d. § 1. Inst. h. t.

T

Quod

Quod si vero testamentum à furioso, qui intervalla habet, ritè & rectè ordinatum sit, in dubio tempore intermissionis factum, præsumi debet: quia ex qualitate actus sanæ mentis fuisse præsumitur, arg. l. 24. l. 46. ff. de O. & A. & in dubio illa interpretatio accipienda, ut a-
ctus valeat potius, l. 24. ff. de reb. dub. l. 80. ff. de V. O. & l. 67. ff. de R. I. Trent. d. D. 10. th. 3. lit. C. (c) arg. §. 4. Inst. de curat. Quomodo autem mente capti à furiosis differant docet Giph. ad d. §. 4. Ab his plurimum differunt homines simplices & hebetioris ingenii, quos testari posse æquius est, ut ex Ang. & aliis docet Myns. ad d. §. 1. n. 6. (d) Quibus à magistratu administratio bonorum interdicta est, §. 2. Inst. d. t. l. 18. ff. eod. & d. l. 40. ff. de R. I. Nam si quod interdictione vetustius habent, id omnino valet, d. §. 2. & d. l. 18. ff. b. t. And. Gerb. D. 7. q. 8. Quid autem si magistratus alicui bonis interdixit, quem alias hominem frugi esse constat? Et hunc testamentum condere non prohiberi existimamus, arg. l. 26. ff. de administr. & peric. tut. And. Gerb. d. D. 7. q. 9. ubi & hoc rectè colligitur, quod etiam prodigi testamentum, quo probe posteritati suæ consulvit, valere, per N. 39. Leon. Cujus constitutiones quatenus juri non adversantur, & casum eo non decisum continent, omnino recipiendas monet, Arum. Ex. 2. th. 15. Ebrui quoq; & irati testamentum non rectè condunt; cum & ipsi mente & iudicio quodammodo destituantur, c. 3. & 5. dist. 35. c. 14. extr. de vita & honest. cleric. l. 48. ff. de R. I. ibiq; Dec. & Phil. Matth. (e) olim hi testari plane non poterant, nisi id à Pr. specialiter impetrassent, l. 7. ff. d. t. qui test. fac. Hodie ex constitutione Justin. distinguendum est, aut enim quis surdus & mutus simul est: & tum si quidem à uatura testari omnino nequit; ne quidem ad pias causas, nec Pr. permittente Vigl. ad §. 3. Inst. d. t. Trent. d. D. th. 3. l. E. Si vero casu, & literas novit, rectè testatur. Aut quis est mutus tantum, seu casu, seu natura, & is si scribere scit rectè quoq; testatur. Aut est surdus tantum; & hic etiam siue casu siue natura talis sit, testamentum condere potest; l. 10. C. d. t. qui test. fac. (f) quibus testari quidem permittitur, sed non aliter, quam observatis solennitatibus, in l. 8. C. qui test. fac. post. requisitis. Quibus non annumeramus eam, ut heredis institutio præcisè legatis & fideicommissis præponatur, propter §. 34. Inst. de legat. & l. 24. C. de test. Trent. d. th. 3. lit. F. Q. An cæcus testamentum condens inter liberos, d. l. 8. solennitates etiam obser-

observare teneatur? Negantium opinioni tanquam communi subscribimus, cum *Trent.* loco allegato.

V I.

Modus vel ipsam testamenti substantiam concernit, vel solennitates. Substantia consistit in heredis institutione, (a) quæ est successoris à testatore facta designatio: (b) vel necessaria, ut liberorum, (c) & parentum, (d) vel voluntaria quorumvis aliorum. (e)

(a) § 34. *Inst. de legat. l. 1. ff. de hered. Inst. l. 1. in f. ff. de vulg. & pupill. substit. l. f. ff. de jure Codicill.* Proinde nec à milite quidem omitti poterit, § 1. *Inst. de mil. test. & arg. l. 1. ff. de jur. Codicill. & l. 14. C. de test.*
(b) *d. l. 1 § 1. ff. de hered. Inst.* Et olim quidem nomen heredis testator propria manu scribere necesse habebat, aut palam enunciare, si scribere non posset, ut à testibus scriberetur, § 4. *Inst. de test. & l. 29. C. eod.* Quod hodie mutatum est, sufficitq; heredis nomen etiam per alium quam testem exprimi, *auth. & non observato. C. h. t. & N. 119. c. 9.* Quemadmodum nec illud refert, testamentum ipse testator, an alius ejus jussu scribat, modo vel ipse, vel, si literas nesciverit, alius ostentus testis ejus nomine subscribat, *l. 28. C. h. t.* (c) Nam parentes non aliter rectè testantur, quam si liberos suos vel heredes instituant, vel expresse exheredent. Et jure quidem veteri varia fuit differentia inter masculos & femellas, suos & emancipatos, jam natos & posthumos, naturales & adoptivos, quæ explicatur, *pr. § 2. 2. 3. & 4. Inst. de exher. lib.* Sed Justin. sublato maxima ex parte hoc discrimine, constituit, ut omnes omnino liberi, seu masculi sint, seu femellæ, seu sui, seu emancipati, seu jam nati, seu posthumi, eodem modo, id est expresse, & nominatim, non inter ceteros instituantur, vel exheredentur; eundemq; effectum habeant circa parentum suorum testamenta infirmanda, & hereditatem auferendam, § 5. *Inst. d. t. & l. 4. C. de lib. præter. quamvis modo & jure ad hereditatem perveniendi diverso Gloss. ad d. § 5. Inst. de exher. lib.* Nam sui si præteriti aut non rite exheredati fuerint, ipso jure testamentum nullum est, *d. pr. & l. 30. ff. de lib. & posth. hered.* emancipati petita bonorum possessione contra tabb. evertunt, § 3. *Inst. d. t. & l. 6 § 1. ff. de bon. poss. contra tabb.* posthumi agnatione seu natiuitate rumpunt, si vivi & integri nascan-

nascantur, d. §. 1. & l. 2. C. de posth. hered. Instit. Verum & hæc per jus
Novell. iterum immutata videntur; quoad testamentum sustinen-
dum non sufficit simplex exheredatio, sed necesse est causam ingra-
titudinis nominatim adjicere, eamq; ab herede probare: quod nisi
factum fuerit, testamentum inutile est, nec ullum liberis præjudici-
um generare potest, N. 115. c. 3. adeo ut nec hæres causam ingratitu-
dinis aliquam probare volens audiendus sit, pr. d. c. 3. in f. ubi requi-
ritur ut causa ingratitudinis intestamento inseratur, & si ita demum
ab herede probetur: ideoq; si testator injuriam tacuit, remissa ea
præsumitur, arg. l. 30. vers. nam si nullam. C. de inoffic. test. l. f. C. de re-
voc. donat. l. 5. C. fam. ercisc. Fachin. 6. contr. 76. Paul. Berens. D. 6. th. 3.
q. 3. Hinc colligitur posthumos, utpote in quos causa ingratitudi-
nis cadere nequit, l. 33. §. f. C. de inoffic. test. hodie omnino exhere-
dari non posse. Vult. ad. d. §. 1. Inst. b. t. n. f. Dn. Ungep. Ex. 8. q. 6. Idq;
sive pater, sive mater testamentum fecerit. Nam nec matris, aut
avi materni præteritionem hodie pro exheredatione esse putamus,
per d. N. 115. c. 3. Vult. ad §. fin. Inst. d. t. de exher. lib. n. 3. Don. 6. com. c.
11. Paul. Berens. d. th. 3. q. 14. Hænon. d. D. 7. th. f. Excipitur miles, cu-
jus præteritio etiam hodie adhuc pro exheredatione est: cum spe-
cialia privilegia generali correctioni subjacere non soleant. Berens.
d. th. 3. q. 5. **Q.** An testamentum ob præteritionem vel exhereda-
tionem nullum, jure prætorio sustineatur, si filius taceat? Et veri-
us est nec hoc quidem jure subsistere arg. l. 25. ff. de leg. præst. l. 1. §. ult.
ff. unde liberi. Myns. ad d. pr. de exher. lib. Ant. Fab. 1. conj. 19. Hillig. ad
Don. d. lib. 6. c. 13. lit. C. Testamentum tamen hac ratione non ran-
tum corrumpit, sed quoad institutionem tantum: nam legata & cæte-
ra ejus capitula valent, & præstanda sunt, d. N. 115. c. 3. auth. ex cau-
sa. C. de lib. præterit. cum Imp. propositum fuerit à liberis præteritionis
& exheredationis notam solum avertere Don. d. lib. 6. c. 13. Fachin. 4.
contr. 10. & 10. contra 70. Bronch. cent. 3. ass. 29. Arum. Ex. 10. th. 2. Be-
rens. d. th. 3. q. 2. Hænon. d. D. th. 15. Quod si legitimam vel minus ea li-
beris reliquerint, secure testantur parentes: Si modo honorabili in-
stitutionis titulo, qui omnino hodie requiri videtur, d. N. 115. c. 3. Fach.
4. contr. 25. & 30. Bronch. cent. 1. miscell. 35. Foman. D. 16. th. 18. lit. A. Hæ-
non. d. D. 9. th. 13. (d) Nam & parentes hodie necessario instituendi,
aut adjecta ingratitudinis causa nominatim exheredandi sunt d. N.
115. c. 4.

25. c. 4. Causæ autem ex quibus liberi iuste exherdari possunt, 14. Ex quibus vero parentes, 7. ab Imp. enumerantur in *d. N. 115. c. 3. & 4.* præter quas nullas, neq; maiores neq; similes admittendas putamus per tex. in *d. N. 115. c. 3. pr. Don. d. lib. 6. com. cap. 12. & ibi Hillig. lit. M. Connan. lib. 9. com. c. 10. Bronch. cent. 3. ass. 26. Arum. Ex. 10. th. 3. (e)* si quis nec parentes nec liberos habeat, in arbitrio ipsius est instituere quemcunq; voluerit; qua de re Disp. seq.

VII.

Solennitates sunt, ut testamentum fiat uno contextu & actu continuo, (a) adhibeantur testes idonei, (b) numero septem (c) specialiter ad hoc rogati, (d) animo & corpore præsentis, (e) & in scripto testamento subscribant, (f) ac sigilla sua apponant (g)

(a) *l. 21. § f. ff. qui test. fac. l. 21. & l. 28. C. eod.* Nullus enim actus alienus, qui ad testamentum non pertinet, intermiscendus est: nisi forte ad naturæ necessitatem: ut victus necessarii aut potionis oblatio, *d. l. 28.* Contractum igitur in testamento celebrari non posse verius est, *arg. l. 20. ff. de V. S. Conn. d. lib. 9. c. 2. Fachin. 5. contr. 32. Bronch. cent. 3. ass. 22. Arum. Ex. 7. th. 18.* (b) Qui autem sint idonei sequens th. docebit. (c) *§ 3. Inst. de test. l. 12. l. 21. C. eod.* ne videlicet in tam celebri actu quid falsitati committatur, *l. f. C. de fideicom.* Idq; jure etiam novissimo procedit; non obstante jure Canon. quod hac in re in terris imperii receptum non est, ut apparet *ex Constit. Maxim. in comit. Colon. Anno 1512. tit. Von Testamenten. § Und sollen die Notarij & c. Fachin. 6. contr. 47. Arum. d. Ex. 7. th. 10. Adde Gloss. ad c. cum effes. 10. extr. de test.* Est autem numerus hic testium non ex lege Cornelia testamentaria, ut *Hotom.* vult, sed ex edicto Prætoris, *d. § 3. in f. Inst. h. t.* qui sublata mancipatione & imaginaria venditione, 5. testib. quos jus civile requirebat, alios duos in locum familiæ emtoris & ponderatoris adjecit, *§ 2. Inst. d. t. Hillig. ad Don. d. lib. c. 7. l. F. Dn. Ungep. d. Ex. 8. q. 1. in Ajo. Q. An septenarius hic numerus sit de essentia testamentis? Quod recte contra communem negat Myns. ad pr. Inst. de test. Dn. Ungep. d. Ex. 9. 7. Hinc statuto eum minui posse, dubitandum non est, Myns. cent. 5. obs. 20. Geil. 2. obs. 123. Hæn. d. D. 7. th. 5.* An autem in testamento tempore pestis facti tot etiam testes

adhibendi? Omnino quia hoc testamentum nusquam est à regula
 exceptum: cum *l. 8. C. de testament.* non numerus, sed consociatio
 testium, quæ alias requiritur, *l. 28. C. d. t.* remissa sit. *Fachin. 5. contr.*
92. Dn. Ungep. d. 9. 1. Arum. d. Ex. 7. th. 11. Hænon. d. D. 7. th. 4. (d) l. 22
§ 2. ff. & l. 21. C. de test. In iis enim quæ testato geruntur, præter præ-
 sentiam testium, ferè etiã rogatio & advocatio requiritur, *arg. l. 9.*
ff. de divor. l. 18. & auth. seq. C. de testib. quamvis ea quæ clam pera-
 guntur, etiam fortuitis testibus recte probentur, *l. 8. § 6. C. de repud.*
 Illud autem non refert testator ipse roget, an ejus nomine alius; in
 dubio tamen rogati non præsumuntur, *Myns. ad d. § 3. n. 6. Inst. d. t. (e)*
d. § 3. Inst. h. t. Nec tantum audire loquentem, sed & præsentem vi-
 dere testatorem debent, *l. 9. l. 12. C. d. t. Gædd. ad l. 209. n. 1. ff. de V. S.*
(f) singuli enim testes propria manu subscribere debent, d. § 3. l. 22
§ 4. l. 30. ff. qui test. fac. Nisi forte in tali sint loco, ubi tot periti lite-
 rarum non reperiuntur: nam tunc unus pro alio subscribere po-
 test, *l. f. C. eod. (g) d. § 3.* Nec refert propriis annulis id fiat, an alie-
 nis, modo expriment, se alieno annulo usos fuisse: imo possunt
 etiam omnes uno annulo signare, *§ 5. Inst. d.* Sed utrum annulo tan-
 tum, an etiam alio signo? Et putamus omnino etiam alio signo li-
 cere signare: quia signatio dependet à fide testantis, non ex mate-
 ria signi, & annulus ad signandum testamentum adhibetur, non
 quia annulus, id est, in orbem reflexus, sed quia signum testis in eo
 insculptum est, *Vult. ad d. § 2. n. 35. Connan. 9. com. 2. Don. 6. com. 8.*
& ibi Hillig. lit. B. Bronch. cent. 2. miscell. ab. 16. Arum. d. Ex. 7. th. 7.
Trent. d. D. 10. th. 5. lit. E. Hæn. d. D. 7. th. 7.

VIII.

Testes idonei sunt omnes cum quibus est testamen-
 ti factio: (a) nisi prohibeantur vel natura, ut impubes,
 furiosus, prodigus; item mutus, surdus & cæcus: (b)
 vel lege ut in testabilis, (c) servus, (d) mulier, (e) testa-
 toris filius, parens, frater, (f) heres, ejusq; domestici. (g)

(a) *§ 6. Inst. de test.* id est qui capere aliquid ex alieno testamen-
 to possunt, *Ulp. in fragm. t. 20. § 7. Accurs. & Giphon. ad d. § 6. Trentl.*
d. D. 10.

d. D. 10. th. 4. lit. D. Conditio autem & qualitas testium spectatur eo
tempore, quo testamentum signant, ut si tunc testes esse potuerint,
nihil noceat testamento, quamvis postea inhabiles efficiantur, l. 22.
§ 1. ff. qui test. fac. poss. Hinc etiam morte testium testamentum non
infirmatur, quia semel rectè & rite factum, subscriptione & sigillis
testium satis probari potest, Vigl. ad § 7. n. 8. Inst. de test. Connan. d.
lib. 9. c. 3. Bronch. cent. 2. misc. ass. 15. Elias Rober. d. D. 11. th. 7. (b) d. §
6. Inst. h. t. Ratio est, vel quod non intelligant quid agatur, nisi mor-
bo, aut infirmitate iudicii impediti, l. 40. ff. de R. I. vel quod non
percipiant quid fiat, aut intellectum rectè eloqui & testari nequeant,
arg. d. § 6. Nec attendimus hic circa mutum & surdum distinctio-
nem, sub qua testari ipsis permissum: sed indistinctè à testimonii
dictione in testamento arcendos putamus, arg. d. § 6. qui generali-
ter loquitur, quæsertim cum non idem favor militet in testimonio
dicendo, qui in testamento faciendo. (c) d. § 6. l. 26. ff. qui test. fac.
Ejusmodi sunt damnati ob crimen famosum, l. 18. § 1. ff. d. t. l. 21. ff.
de testib. Item condemnati iudicio publico, puta adulterii, l. 13. l.
24. ff. de testib. Item iudices ob acceptam pecuniam condemnati,
arg. l. 3. § 5. ff. de testib. Giphani. ad d. § 6. (d) d. § 6. & l. 20. § 7. ff. qui test.
fac. poss. Quod si tamen contigerit, ut servus testamenti facti tem-
pore omnium consensu pro libero habitus fuerit, atq; ita in testa-
mento adhibitus, testamentum ex liberalitate Imp. sustinetur, § 7.
Inst. d. t. & l. 1. C. eod. Quod ad alias quoq; personas inhabiles, quæ
conditi testamenti tempore habiles fuerunt, rectè extenditur, arg. l.
pen. § f. ff. de jur. & fact. ignor. Treut. d. th. 4. lit. I. Et in nuncupativo
quoq; testamento locum habet, ut contra Gloss. docet Myns. ad d. §
7. num. 6. Monachi autem quamvis quoad quædam servis compa-
rentur, revera tamen liberi sunt, ideoq; & testes esse possunt, ut
rectè, Gloss. ad pr. Inst. de iur. pers. & Schneid. ad § f. d. t. n. 5. (e) d. §
6. & d. l. 20. § 6. ff. qui test. fac. poss. non quidem ob sexus aut iudicii
infirmitatem; aliàs plane testis esse non posset, quod est contra
d. l. 20. § 6. & l. 18. ff. de testib. Sed quia iure civili testamentum vel in ca-
latis comitiis, vel in procinctu fiebant, mulieris autem neq; comi-
tiorum communionem habebant, neq; belli. Gell. 5. Noct. 19. Vult.
ad § 5. cum seqq. n. 19. Inst. d. t. Elias Rober. d. D. th. 5. Adde Hillig. ad
Don.

Don. d. c. 7. lit. K. Hinc in codicillis, ut & testamentis non solennibus recte ad testimonium adhibentur. *Vult. d. loco n. 21. Haenon. d. D. 11. th. 21.* (f) ob potestatem videlicet, qua pater & filius una persona esse censentur, *arg. § 4. Inst. de inutil. stipul. & l. f. de impub. & al. substit. nemo autem sibi ipsi testimonium perhibere potest, l. 9. & 10. ff. de testib.* Quæ ratio, non tantum in uxore, ministris & domesticis, sed etiam filio emancipato cessat. Proinde & is recte in testamento patris adhibetur, *arg. d. l. 20. § 2. ff. qui test. fac. Don. d. c. 7. & ibi Hillig. lit. N. Bronch. cent. 3. ass. 23. Arum. d. Ex. 7. th. 15. Haenon. D. 7. th. 8.* Idem & de Vasallo dicendum, & eum in testamento Domini testem esse non prohiberi. (g) Suspitione videlicet affectionis, ne in sua causa testis sit, *l. 10. ff. de testib.* cum totum hoc negotium inter heredem & testatorem geri credatur, *§ 10. Inst. d. t. d. l. 20. pr. ff. d. t. qui test. fac. pos.* Aliud juris est in legatariis & fideicommissariis, particularibus, qui cum non sint juris successores; nec negotium inter illos & testatorem geratur testes etiam in nuncupativo testamento esse possunt, *§ 11. Inst. de test. d. l. 20. pr. ff. qui test. fac. l. 22. C. de testam.* Id quod speciale in testamentis est, cum alias nemo in ea causa, ex qua commodum vel per consequentiam sensurus est, ad testimonium admittatur, *l. 10. ff. de testib. l. 1. § 11. ff. quan. sit appell. Vult. d. loco n. 45. Vigl. ad d. § 11. Don. d. cap. 7. & ibi Hillig. lit. O. Brouch. cent. 2. ass. 97. Arum. d. Ex. 7. th. 16.* Valer autem testamentum etiam si omnibus 7. testib. diversa essent legata relicta. *l. 1. ff. de reb. dub.* Scriptoribus tamen testamentorum in eodem testamento nihil legari potest, nisi alterius manu legatum ascriptum fuerit, *l. 15. § f. ff. ad l. Cornel. de fals.*

IX.

Minus solenne sive privilegiatum testamentum est, quod etiam absq; solennibus ex speciali privilegio valet, ut testamentum militare, (a) parentum inter liberos, (b) rusticorum, (c) ad pias causas. (d)

(a) Militibus enim propter imperitiam & ingentia pericula, quæ pro Rep. sustinent, seu dicta diligens solennitatum observatio

Princi-

principalibus constitution. remissa, & quo volunt & possunt modo
 testari concessum est, *pr. Inst. de test. milit. & l. 2. ff. eod.* Si tamen vo-
 luntas eorum, vel per scripturam testatoris vel in defectum hujus
 per duos testes probari possit, § 1. *Inst. d. t. l. 24. & l. 49. pr. ff. eod.*
Bronch. cent. 2. miscell. 22. Arum. Ex. 7. th. 13. Foman. D. 14. th. 10. lit. A.
& B. Testamentum quoq; ante militiam non jure factum, per no-
 vam militis voluntatem confirmatur; si videlicet illud resignavit, &
 quædam adjecit vel detraxit, aut alias manifesta est militis voluntas
 id valere volentis, § 4. *Inst. h. l. 9. § 2. l. 19. § 2. l. 20. § 1. & l. 38. in ff. eod.*
 Milites autem hic accipimus non omnes, sed eos demum qui in ex-
 peditione seu castris occupati sunt, *d. pr. & § 3. Inst. h. t. & l. pen. C.*
eod. etiam hodiernos; in quibus eadem juris ignorantia, & subita-
 nea mortis pericula occurrant. *Schneid. ad pr. Inst. h. t. n. 8. Gail. 2. obs.*
118. Gædd. de contrab. stip. cap. 7. n. 302. Arum. Ex. 7. th. 8. His annume-
 ramus & limitaneos ac præsiarios, qui & ipsi propter subita peri-
 cula & excursions hostium in expeditione esse videntur. *Hænon. d.*
D. 7. th. 10. Arum. Ex. 7. th. 8. Treut. D. 10. th. 6. lit. C. & ibi Bach. Non
 vero milites togatæ militiæ, puta advocatos, professores & Dd. Nam
 in hisce rationes testamenti militaris, imperitiam & pericula cessare
 expeditum est, § f. *Inst. de test. milit. Don. d. lib. 6. c. 28. Schneid. ad d.*
pr. n. 11. Arum. Ex. 7. th. 9. Quid de mercatoribus & laniis victuali-
 bus qui castra sequuntur, dicendum? Et eos quoq; jure militari
 testari posse, si in hostico deprehendantur, & ibi decedant, *arg. l. f.*
ff. de test. mil. & l. un. ff. de bon. poss. ex testamento milit. Gloss. ad l. 16. C.
de test. mil. Bach. ad Treutl. d. th. 6. lit. B. (b) Quando parentes u-
 triusq; sexus, liberos suos heredes instituerunt. Nam & horum
 voluntas, sive ab ipso testatore scripta, aut ad minimum subscri-
 pta, sive coram duobus testibus nuncupata fuerit, valet & servan-
 da est; etiam si liberi inæqualiter instituti fuerint, *l. 16. l. f. C. fam.*
exercisc. l. 21. § 1. & auth. quod sine C. de testam. Gail. 2. obs. 112. Fachin.
4. contr. 1. & 2. Bronch. cent. 2. miscell. aff. 10. Sed quo ad liberos tan-
 tum; nam legata aut fideicommissa extraneis relicta non debentur,
d. l. 21. § 1. Treut. d. th. 6. lit. H. Adde Hieron. Pantschman. lib. 2.
quest. jur. contr. quest. 6. Quæ omnia procedunt; nisi testamentum
 ejusmodi ratione voluntatis imperfectum sit, puta si testamentum,
 quod condere cœpit, morte vel alia ratione impeditus non perfe-
 cerit,

cerit. *Mynf. cent. 5. obs. 28. Gail. d. obs. 112. n. 14. Fach. lib. 4. c. 4. Pantfch-*
man. d. lib. 2. q. 3. Treut. d. lit. H. & ibi Bach. (c) In quorum testamen-
tis quinque; sufficiunt testes, si 7. non reperiantur, & subscriptiones,
si literati defunt, remittuntur, *l. f. C. de test. Don. d. lib. 6. com. cap. 9.*
(d) Quod ex jure Canon. coram duobus vel tribus testibus condi-
tum valet, *c. relatum 11. extr. de test. Don. d. c. 9. nisi ratione voluntatis*
imperfectio occurrat, Mynf. d. obs. 28. Treutl. d. th. 6. lit. E.

F I N I S.

Præstantissimo nec non Eruditissimo

V I R O

DN. WOLFGANG. ANDREÆ ARM,
amico & consalino fraternâ mente
honorando, de Testamentis di-
sputanti.

I.

A R M U S

ἀραγὰ φείς

R A M U S.

Iustitia est arbor, nî nos oracula fallunt

Ut credam suadet religionis opus.

Cujus per plures rami, frondesq; patentes,

Inde enascuntur surculi, & alta strues.

Quis sustentatur spatiosi machina Mundi

Ceu vir divino flamine motus habet.

Daniel. c.

4. v. 17. 19

& 23. cum

seqq.

A R M E age noster amor, cordis pars maxima nostri,

Macte tuo studio, quod coluisse soles,

Justitiæ R A M U S flore scis perpete cultu,

Justitiæ ut R A M U S sis sine fine, precor.

Comprecor hoc unum sed quo potiora precari

Nemo sexcentis aut meliora potest.

II. ARM.

II. *Allusio ad cognomen.*

Differtat FRIDERICHUS ÆNOBARBUS,

Crena coelica dum remisit astris
Legum præcipuum unicum illum ocellum:

Clericis studium artis undecunq;

Receptæ, auriferum harpagare nummum:

Missis divitibus manere egenos?

Ars hæc egregia creans egenos?

ARME nomine dum prius laboras?

Paupertate, petisné & Irus ultrò,

Ultrò inquam fieri IRUS, IRUS alter:

Dum leges sequeris Themistos & dum,

Virtuti facis insolente voto.

Gaude DII melius! salutis author

Suggestit tibi cogitatum amandum:

Nam dum nomine pauperem Lycophron,

Te finxit, locus est paratus altus?

Et dum pergis ad incitas reduci

Cedet congeries meri metalli.

Sic Astræa suos polivit ære:

Vin' exempla? dabo: noto arte Baldo

Dogma substituens regessit auri

Numos mille decem, sed adde quinq;

Ferrem plurima: sed premo labella

Boni consule pauculos phaleucos?

III. *Epigramma ad titulum disputat. de Testamentis.*

Iam Testamentum Themis aurea fecerat, Orbem

Desertura, jubar mox subitura Poli.

Astinopinatò tandem mutavit id ipsum,

Dum gnavos rursus vidit adesse viros?

Sub quibus ad priscum posset remeare nitorem:

ARMI tu lapidem, ne volet alma Themis,

V 2

Struxti,

In auth.
Hab.C.ne
fil.propa-
tre ibi. de
divit.
paup.

Arg. No-
vell. i. in-
fin. Epil.

Schneid.
ad tit. I. de
vulg. &
pup. sub.
num. i.

Struxti, dum Themidis grato testamen honore
Luce sub instanti disposuisse cupis.
Ne mutet mentem tabulas structura recenteis
Diva Themis, fulci nobile Juris opus.
Atq; laborantem genio mox reddite prisco
Justitiam, leges asseritote suas
Tu PRÆSESQ; tuus, quem non gravitatis egentem
Purpurat astrigenis Juridicina notis.

L. M. Q. applaudebat

GEORG. CHRISTOPH. WALTHER, Rotenb. Fr.

IN GRATIAM:

Præstantissimi, juxta ac Literatissimi

DN. RESPONDENTIS,

Amicorum optimi, Commensalis suavissimi, Contu-
bernalis sinceri & Fidelissimi.

Queritur? argenti cur dives pondus & auri
Immensi querat, magnum ac indaget acervum
Frumenti, nempe ut patulo clarescat in orbe.

Nomen & ad natos ultra producere possit:

Sed melior longè est Ars, auro & Marte superbo

Illud cum minuas, per parvum arctatur ad assem,

Hæc. nec formidare malos, incendia, fures

Debes, immobilis tuto tutamine constat.

Rectè, ANDREA, tibi tales componis opimas

Divitias, quæ post tibi cumq; tuis benè profint.

Si vigilare ita nunc pergis noctesq; diesq;

Sanè non dubito quin vadas Dives ab ARMO.

Perge age, perge modo: tibi de hoc conamine primo

Gratulor ex animo, ac nunc ne sit inane precabor.

L. M. Q. accinebat

JOANNES LAURINN à Watervliett.

FINIS.


99 A 6938


ULB Halle 3
002 822 58X



Handwritten text and faint bleed-through from the reverse side of the page, including the word 'CONNECTION' and some illegible characters.







B.I.G.

Farbkarte #13



OPTIMA.

NEAS ONES.

ate
dicæ in celeberrima.

LUDWELL
O.

Dominis collegis
uit.

REAS ARM,
NCUS.

rio,

XVII.

CORUM,
aris Scherffij,
graphi.

7

